

Exercitatio Theologica De Jesu Christi In Deserto Cum Satana Congressu Et Reportata Ab Hoste Victoria ...


Altera :

Tiguri: Typis Davidis Gessneri, MDCCX

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677947047>

Band (Druck) Freier  Zugang





6

41

Fa - 1092 (41.)

2.

3.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15.


16.

17.

18.

19.

20.



Sup. Math. II, 1-11.

EXERCITATIO THEOLOGICA

De

JESU CHRISTI
IN DESERTO CUM SA-
TANA CONGRESSU ET
REPORTATA AB HOSTE
VICTORIA,
ALTERA:

^{Quam}
Agonothetâ Jesu Christo,
Placido Examinis subicit

JOH. JACOBUS HOT-
TINGERUS,
SS. Theol. Profess.

Respondente,

JOH. CASPARO ZIEGLERO, V. D. M.

Assumente,

JOH. JACOBO SCHULTHESSIO,
SS. Theol. Stud.

Postrid. Syn. Vernal.

H. L. Q. S.

TIGURI,

Typis DAVIDIS GESSNERI
Anno M D C C X,





I.

Satan esse
resentibus
infectus.



Ecessum Christi baptizati in desertum: moram 40. dierum in deserto: & variam quam ibi expertus est sortem: inprimis infestam ei importunitatem Satanæ: nec non famem, superato dierum illorum intervallo, ei molestam, superiori Diatribâ excussimus. At ea cum illis comparata, quæ famis occasione Christo toleranda erant, nonnisi progymnasmata dici merentur.

Sive enim, fame illâ stimulante, ex deserto (ut haud improbabile nobis fit) cultiores Judææ partes repetere maturantem: Sive aliunde, famem eum urgentem animadvertens Satanæ, Christum nec uno, nec mediocribus insultibus oppugnat, sed totos cuneos & manipulos telorum igneorum adversus eum vibrat. Quippe eo inprimis solers, quòd opportunitates venari amat, iisque consilia & artes suas attemperat: gnarus non omnia eodem tempore fieri posse: nec quævis quibusvis inescandis idonea esse. Hinc illis maximè importunos: vel otio, aut profundâ ex atrabile dominante, aut à conscientia peccato vulneratæ, concepta tristitia sepultos: aut animam agentes, & in mortis faucibus versantes animadvertit. Verbò: ut hostis angulos aggeris debilissimos arctiùs cingit, & vehementiùs impetit, & ut ignem è chalybe excussurus, hanc subinde manibus versat, & filicem parti aptissimæ allidit; ita Satanæ occasiones ex ipsis hominibus, eorum vel affectibus, vel defectibus & imbecillitate, conditione, genio captat, telis contra eos inde adornatis. *Ejus tentationes sunt instar ignis, & follis: nostræ autem infirmitates & corruptio, sunt ligna combustibilia*, Perkinsius scitè ait. Famelicis præcipuè invidus & infidus spiritus pertinacissimè insidiatur. Cùm enim cibi necessitas maxima existat, ejus absentia & corpus sensibilibus affligat, & animam magnâ sollicitudine impleat: Solaque fames, imperiosa illa fames,

fames, ad extremum ferri non possit: adeò quidem, ut homo nihil non intestinis latrantibus compescendis moliatur: Tentator negotiosus oppidò est, inque certam erigitur spem, nihil esse mali, quod venter inanitate murmurans suasurus non sit. Quid ergo? In pace de bello cogitandum. Qui regiones sive latronibus obsessas, sive feris infestas incolunt, inermes nusquam & nunquam comparent. Quin ergo illi, quibus cum hoste callidior & validior res est, πανοπλία Dei semper induti sint, oculos ubique circumferant, sui ipsorum notitiam & δοκιμασίαν excolere, honestæ vocationi vacare, artes quibus hostis homini nocere amat, in promptu habere, easque subinde ad animum revocare, meditatione Verbi Dei, temperantiâ, precibus, vigilantia adversus eum se munire, pensi habeant: nec minori studio Deo appropinquare, quàm hostis satagit ut eos à Deo divellat? Ephes. 6:16. & sq. Jac. 4:7. 8. 1. Petr. 5:8.

II. Itaque Christo esuriente, infelix spiritus, se & Satanam, *Satanæ ad* & Tentatorem præstat. Προσελθὼν αὐτῷ ὁ πειραστὴς, *adiit eum, pro-* pius Christo accessit, *Tentator*; Matth. 4:3. inquit: eadem operâ posteriori conflictum Satanæ à prioribus discriminaturus. Nam cum is jam nuper *Christum tentarit*, nunc demum ad eum *accessisse* dicitur; quasi priora ipsius molimina eminus tantùm suscepta fuerint, de quo *Dissert. Super. S. 30.* Idem verbum evincit, theatrum agonis huius neque cor, neque phantasiâ Christi fuisse: *quæ* (ut rectè Montacutus) *non tantùm Majestate patientis, sed etiam humiliatione indigna fuissent.* Vide *Dissert. & S. cit. & Montacut. l. pag. 417. seq.* Ut ipsa tentatio, ita accessio, deductio Christi ex uno loco in alium, compellatio, non fictio, sed reales actiones fuerunt, visibili Satanæ apparitione peractæ. Impuro spiritu, apparitionem Spiritûs Sancti ad Jordanem factam, his artibus oppugnaturus, & per aures, oculosque, quòd aliter non posset, se in Christi animum insinuaturus. Non tamen sustinerem cum Clariss. Lightfoto, asseverare; Angelis, bonis Christo visibilibus ministrantibus, Satanam se visibili figurâ miscuisse: Angeli lucis personâ susceptâ, simulâsse se cum bonis, Christo famulaturum, atque ita hamum occultâsse. Argutè magis quàm solidè! En verò tibi nunc in eadem arenâ, versantes, *Christum & Satanam; Semen mulieris, & serpentem antiquum, Draconem rufum*, Apoc. 12:3.9. Longiori intervallo divisos, quàm nuper Christus & Johannes, imò

quàm cælum & orcus! Satanâ Christum tantùm non (ut Populius Antiochum) virgâ circumscribente, nec prius circulo excedere permiffuro, quàm respondisset, *Liv. lib. 45.* Filium Dei in carne etiam humili, vidisse, audivisse, palpâsse, compellâsse, magnum certè erat. Sed quæcunque cum carne ejus communio fuerit, vel fingatur etiamnum, si solâ carne, solis sensibus externis, non fide & spiritu peragatur, nulla, imò hominibus nociva est, tantùm abest ut profit: id quod Judæ, Judæorum, Pilati, illorum, hujusque militum denique ipsius Patris & Capitis eorum, Satanæ exempla confirmant.

Satanas
Tentator.

III. Qui hætenus *Satana* & *Diaboli* nomine venit, denique, eodem quo superiora jure, tertium nomen sortitur, ὁ πειράζων: ut 1. Theff. III. 5. participio nominis vice posito. Id est ὁ πειράζων, ille *tentator*, cujus proprium malitiosè tentare. Qui ut in tentationibus se ὡς serpentem præstat, & serpentinam calliditatem exeret: ita ratione non carent, qui τὸ ὡς Gen. 30: 27. reddunt per *tentare*. Satanus serpentis exuvias indutus, Protoplastos: deinceps Israelitas, stimulare ausus, ut nec jejunantes, nec esurientes, sed gulosi Deum tentarent: Dicentes, *Estne inter nos Jehovah, nec ne?* Exod. 17: 7. obsequentesque sibi, victimam irati Dei fecit. Idem vellet Christum in deserto jejunantem, & famelicum adversùs Deum irritare, ut cum filiis ei à Deo datis, promissâ hæreditate excideret. Haud æquiores experiuntur singuli, Christo capiti fide juncti. Qui enim in filiis inobedientiæ ἐνεργεῖται operatur, Eph. 2: 2. & ad cujus nutum isti rigent: in Christo quidem, & in illis qui Christi sunt, *nihil habet*. Joh. 14: 30. &c. Tamen semper eos tentat, & aditum ad eos jugiter quærit. Uti tanquam *Diabolus*, eorum infirmitates apud Deum defert, easque in majus extollit, quò Deum eis infestum reddat: ita, cùm non possit, credentes in Christum à Deo alienos reddere, tentat eos semper, sive ad opera carnis, sensum gratiæ Dei ita amiffuros: Sive ad dubitationem de gratia Dei. Ut ita, cùm insultibus suis pacem quam cum Deo habent destruere nequeat, eam tamen vellicet, languidam, suspectamve reddat, imaginem Dei in eis polluat, Spiritum contristet, vitam Christi debilitet, pacem conscientiæ perturbet. Qui prosternere eos non valet, eis offencicula semper objicit: terret quos ad desperationem adducere nequit.

IV. Vix

IV. Vix lateri Christi se jungit, cum telis eum suis petit: nec Trifolcis re-
lis petit A.
Christum.
semel, sed ter: nullâ respiracione, nullis induciis Christo concessis. Priores insultus non distinctè explicantur, ut ultimi isti, quorum extremus quisque vehementissimus est, ut bestia morientis morsus venenatissimus. *Primo*, Christi potentiam: *altero*, sapientiam: *ultimo*, ejus pietatem & constantiam exploravit. Quanquam quodnam ordine secundum, tertiumve sit, primâ fronte obscurius videatur, ut suo loco videbimus: res ipsa suâ luce claret.

Quicquid Diabolus tentando scit, potest, & valet, illud universum, quasi in aciem, denunciat inimicitias, in hunc congressum cum semine Mulieris producit; ceu Chemnitius bene observavit. Ut ex hoc in Christum impetu, omnia Satanæ *νοήματα, βάρη, μεθοδεύει*, innotescant. Nam ut Calvinus verba adhibeamus, non aliquod inusitatum certamen subire voluit *Dei Filius, sed communes nobiscum habere voluit pugnas: ut iisdem armis muniti, non dubitemus, palmam nobis in manu esse.* Porro, in iisdem capitibus (cei laudatus Chemnitius loquitur) tentationum, quibus in Paradiso Satan genus humanum prostraverat, jam in deserto, ab homine Christo vincitur: quod scilicet eminentia, quâ Adamus posterior priori pollet, notoria esset: & palam fieret, nulla tam noxia, ab hoste atrocissimo, adversus nos evomi posse venena, quibus non antipharmacum; nulla tam noxia arma ab eo vibrari; adversus quæ non præsidium & clypeus in Christo paratus sit. *Ut in Diaboli tribus Propositionibus, tota iniquitas: ita in Christi responsionibus, quibus Diabolo repugnatur, tota justitia fuit.* August. *Mirab. Scr. III. 6.* Nec tamen malè observant viri docti, tentationes Diabolum, non eo nunc ordine instruxisse, quo olim. Nam qui olim à concupiscentia oculorum perrexerat ad concupiscentiam carnis, deserat in fastu: nunc bis stimulat, ad opera magnam potentiam indicantia, (panis productionem ex lapidibus, & volatum per aërem): denique ad abjectissimam servitutem, & actum maximè erubescendum, adorationem Satanæ.

V. Contrahit ergo Satanas in conflictu hoc artes omnes, quibus etiam eos, qui Christi sunt, circumvenire assuevit. B. Membra
Christi. Quis enim non ex congressu isto pervideat, Tentatorem pellicere, & seducere homines rebus adversis, molestisque, præcipuè paupertate & egestate pressos, ad *impatientiam* & *diffidentiam*: in rebus secundis, tum ad *presumptionem* seu præfidentiam de gratia & favore, quem Deus, sive

luculentis promissionibus, siue singulari providentiâ ad sublimia nos provehens, testatus est: tum ad *ambitionem*, rerum multarum & magnarum cupiditatem, & quidem insatiabilem? Hujus modi tentationes frequentissimas esse, quis neget? Eadem tantum non Catholica, & *Universales* sunt. Quis hominum ordo? Quæ vel conditio vel occupatio, quibus non hujus modi tela intententur? Prima *Oeconomico*, altera *Ecclesiastico*, tertia *politico statui*, in primis minatur. Prima: *Vitium*, & alia omnibus communia: Secunda *charismata*, literaturam, sapientiam, sacra etiam dona: Tertia, *Authoritatem*, potestatem, & Sortem in mortali vitâ sublimiorem, ferè ferit. Denique *spicula hæc planè venenata*, verè ignea ac periculosissima sunt: adeò acuta, ut Satan ipsum Dei Filium, iis vulnerari, & superari à se posse confiderit. *Primo* læditur, & configitur animus forte suâ contentus. *Altero* conficitur humilitas & modestia, ut nolit homo sapere ex verbo Dei, sed sapere supra id quod scriptum est. *Tertio*, Dei Reverentia, Amor, Timor, cultus, cognitio Dei & rerum cœlestium, contemptus mundanæ gloriæ, absque quibus in regnum cœlorum com-
meatus non est.

*C. Ecclesiam
Catholicam.*

VI. Sed eadem Christi tentationes, schema tentationum præbent capitalium, quibus Satan ipsam Ecclesiam subigere, subjugare, & Christo perduellem reddere annisus est. Nimirum *primò* eam persecutionibus ad incitas redigere, omni rerum, ad hujus vitæ solatium, imò ad necessitatem facientium præsidio, ipsaque vitâ exuere conatus est: adeò quidem ut de ea actum videretur, nisi lapides in panes, hostes etiam iniquissimis conditionibus in amicos, convertere, rebusque etiam faciem conciliare possent. *Deinde* contrariâ arte, eam alta spirare, sublimia petere, illos ipsos qui humilitatis exemplo alios præire, sui plenos reddere, tum thronos, & dignitates occupando, Ecclesiæ non necessarias: tum ut freti autoritate, & potestate, quam in secularibus dignitatibus nacti essent, omnium rerum Administratores, & tantum non Domini esse vellent. Quod quid aliud erat, quàm lapsus ex Templi pinna in Abyssum, ex cœlo in terram? *Tandem*, Ecclesiæ, Templi Dei fastigio impositi, pietatem lucro duxerunt; regnorum mundi gloriâ & deliciis inescati, in Idololatriam, Bestiæ in primis adorationem ruerunt. His laqueis cum multi irretirentur, Christus tamen *λεῖμμα καὶ ἐκλογὴν χεῖματος*, Rom. 11: 3, virgines quæ animam non pollue-

polluerent, sed agnum quâ ibat sequerentur, Apoc. 14:4. sibi confer-
vavit.

VII. Verùm ista ordine nobis consideranda sunt. Observamus *Primæ tem-
tationis,*
in singulis, ἐνστασιον, *oppugnationem* Satanæ, & ἀντίστασιον, *Repugnantiam* *membrum*
Christi. Ἐἶπεν αὐτῷ ὁ Διάβολος dixit ei Diabolus (Luc. 4:3.) εἰ υἱὸς εἶ τῷ *prius. Satanæ*
θεῶ, εἰπὶ ἵνα οἱ λίθοι ᾗτοι ἄρτος γένωνται, *si filius es Dei, Dic, impera, ut* *Filiationem*
Christi æ-
ἵνα γένηται ἄρτος. Aristot. *de part. animalium libro secundo,* Serpenti-
bus linguam tribuit *bisulcam.* De eo naturæ scrutatores viderint. *Te-
ambiguam*
lum primum quod Satanæ emittit, bifidum: *antecedente & consequente,*
reddere co-
venenato utroque, constat. *Illud vicem præstat ὑποθέσεως, seu βάλ-
σεως, cui τὸ αἴτιμα superfruit.* Sic ergo Satanæ: *Si Filius Dei es.*
Quia Matthæus articulum non præmittit, Grotius contendit, Satanam
no nloqui de Filio Dei propriè dicto. Sed *respondemus,* 1. *Zwinglii,*
*verbis, in Luca IV. Aliquando sine articulo oratio est augustior, quàm si arti-
culus adderetur.* 2. Non semper Articulum occurrere, cum de Filio
Dei propriè dicto in Scriptura res est. Multi post Cyprianum, ex par-
ticula conditionali colligunt, Satanam vel ignorâsse, vel saltem dubi-
tasse an Jesus Filius Dei sit? Atqui ex Oraculis Vet. T. scire poterat,
ipsum Filium Dei, Messiam illum, & vindicem populi esse, pridem
promissum. Sanè, Pl. XCI. allegatio docet, Satanam in Scriptura
non fuisse hospitem, promissiones Dei in promptu habuisse, verbis Dei
in rem suam gnaviter uti scivisse. Porrò ex iis, quæ Christo nascente,
& adolescente, contigerant: ex ministerio Johannis: ex eis quæ nuper
ad Jordanem evenerant, aliisque haud vanâ conjecturâ colligere pote-
rat, Jesum hunc, Mariæ Filium, Messiam, adeoque Filium Dei esse.
Matth. 8: 29. Marc. 1: 24. Itaque eum non urget ut Pontifex ille; *Dic*
nobis, num sis ille Christus, ille Filius Dei Matth. 26: 63. Sed veritatem
hanc, tanquam sibi compertam, tentationi suæ præstruxit: Sanè nec
ipse experiri conatur, nec aliis certò innotescere vult, num Jesus Dei
Filius sit. Sed hoc voluit: *quia,* siquidem, *Dei Filius sis.* Ut verò
λοξίας & Sophista est, ambiguè loqui, & in re sibi satis explorata, hæsita-
re videri maluit: tum quia maximè vellet Jesum non esse Filium Dei,
& hominis: i. e. Filium Dei non in carnem venisse. Tum quia sibi
pollicebatur, si Christus (quod, quippe spiritus catus præsumere po-
terat) repulsam ei daret, hocce telo, vocem nuper ad Jordanem audi-
tam,

tam, & per totum orbem resonaturam, impetere, ejusque vim retundere, ac refringere posset. Planè ut Protoplastos everfurus, non inficiatur, Deum eis locutum: sed verbo Dei alienum sensum affingere, & Evæ persuadere conatus est, vocem divinam non illud velle, quod Eva dixerat. Pariter gloriam Christi, quam ei eripere non poterat, obscuraturus, testimonium quod Deus cœlitus de Filio pronuntiabat enervare, & luce quâ pollet serenissimâ privare voluit. Infallibilem scilicet Dei interpretem se obtrudens, quasi scilicet glossæ ejus, quàm Dei verbum potius attendi, fidesque potior eis haberi debeat. Denique mendax, & tenebrarum Princeps, veritatem & lucem sibi perspectam oppugnare non veretur. Ut verbis ejus hic inesse possit sensus: Vides ex eventu & re ipsa, Te non esse Filium Dei: vel specimine aliquo fidem fac, & miraculo ostende quòd sis; quum plurimum interfit cognosci, Te Filium Dei esse: neque carnem tuam diutiùs fame affligi, aut etiam enecari permittit. Cùm ergo Satan vocem cœlestem in dubium vocare nequeat, saltem animum Dei paternum, ei suspectum facere, ipsiusque Dei providentiam, & charitatem ei ambiguum reddere nititur. Si Filius Dei sit, cur eum Deus inter feras degere voluerit? In locum, quo in lapidum copia, panis inopiâ laboret, duxerit? & tam diu detinuerit? Deum (præter Patris morem) non panem, sed lapides ei dare, Lucæ 11: 11. Si enim Satan vel tantillum, Dei verbum nobis suspectum reddere, & à fide ad dubitationem depellere queat, votis suis jam potitus est. *Novit callidissimus hostis, hæc duo esse conjuncta, nempe gloriam divinæ veritatis, & nostram salutem, si in fide verbi Dei immoti perstiterimus quæ utraque ferre nequit: cùm primis Dei, dein humani generis, propter Deum hostis, Musculi in h. l. verba sunt.*

*Satanas a-
sernam
Christi fidia-
tionem,*

VIII. Nimirum quòd Jesus Christus Filius Dei sit *ἐν δυνάμει*, primarium, adeoque primum caput est, quod in Schola Christi docetur & discitur, Matth. 16: 16. Joh. 1: 50. 6: 69. 11: 27. Act. 8: 37. &c. à quo reliqua pendent, & ex quo reliqua fluunt. Hoc *διὰ φωνῶν τῶν* ejus *ὄνομα*, quo Angelis præstat, Hebr. 1: 4. Hoc fiducia Christi in Deum, nostræ in Christum, unicum fulcrum. *Qui confessus fuerit, quòd sit ille Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo.* 1. Joh. 4: 15. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quòd Deus sit ille Filius Dei?* 1. Joh. v. 5. Itaque Satanus nulli religionis capiti infestior, Gentilibus frequentes

Deo-

✱) : (✱

Deorum generationes, ex quibus plures non modò filii, sed etiam filia
ab eis edita sint, persuasit, de quibus Hesiodi *θεογονία*, Homerus, alii-
que: hisque fraudibus ad Idololatriam absurdissimam miseros sedu-
xit. Muhamedanis tamen veri Dei cultum, nihil ferè ita difficilem
ac invisum reddit, ac aeterna Filii ex aeterno Patre generatio. Judæi
nihil minùs in Christo ferre poterant; quàm veritatis hujus assertio-
nem, Joh. 5: 17. sqq. Matth. 26: 63. Semper, ne nostro quidem secu-
culo excepto, Satanus hoc gnavissimè egit, ut ne (vel in Dei Ecclesia)
deessent, qui arma sua huic veritati opponerent: quæ cùm Solis ra-
diis in Scriptura consignata sit, ab eo nonnisi jejunis ratiocinationibus,
à fame, morte ignominiosâ, aliisque Christi ἀδιαιβλήτοις imbecillitati-
bus petitis, petulanter impugnari valet: indignum esse Filio Dei esu-
rire, crucifigi, mori &c. quod scandalum cùm cane pejus & angue
cavendum, Matth. 11: 6. 1. Cor. 1: 18. &c. carni tamen in magnificis
& pomposis seculi rebus stupenti, adedò frequens, & obvium est, ut eti-
am Petro imposuerit. Matth. 16: 22.

IX. Præcipua gratia, quâ in Christo fruimur: suavissima etiam *Et gratulatio*
consolatio, quæ animum hominis delectare queat, adoptio est. *Videte tam nostri*
quantam charitatem nobis dedit! Ut Filii Dei vocemur! 1. Joh. 3: 1. *adoptionem,*
Hanc gratiosam voluntatem Deus, non tantum verbo suo declarat, sed *ambiguam*
in corda nostra effundit, Rom. 5: 5. per Arrhabonem Spiritum, & Sacra- *reddere sa-*
mentis confirmat. Denique S. Petri voce nos stimulat, *agit.*
tionem, & electionem vestram firmam efficere, 2. Pet. 1: 10. Satan verò
has primitias non magis quàm ipsam messem nobis invidet. Hinc
Antichristus, contrariis Christo vestigiis insistens; anathemate ferit
omnes, qui profitentur, fideles, i. e. filios Dei, gratiæ, & Dilectionis
divinæ, id est, adoptionis suæ certitudinem in hac vita consequi. Scili-
cet qui nomina nostra in albo Dei delere, & consilium Dei nos adop-
tantis irritum reddere nequit, hoc agit, ut spem illius in nobis vel suf-
focet, vel saltem minuat. Quem enim ipsius Filii aeterni generatio-
nem aeternam vellicare non puduit, quid miri, si de tua filiatione, so-
lidâ quidem & immotâ basi nixâ, gratuitâ tamen, scrupulum tibi mo-
veat? Cùm etiam Deus Filios suos compellet: *Fili mi, ne parùm cures*
disciplinam Domini, neque fatiscas ab eo redargutus. Quem enim diligit
Dominus, castigat; flagellat verò omnem filium quem recipit. Si disci-
plinam sustinetis, tanquam filiis nobis Deus utitur. Quis enim est filius,
B quem

quem non in disciplina habet Pater? Quod si autem disciplina expertes estis, cuius participes fuerunt omnes, ergo spurii estis non filii, Hebr. 12: 5-8. Satan consolationem hanc oblivione ab hominibus sepeliri volens, eis adversa insuffurat: & carni, mollia & magnifica semper anhelanti, & aspiranti, facile persuadet: Si Filius Dei, si Deo curæ esses, felicius tua succederent. Si Deus nobiscum, quare obvenit nobis totum hoc? Et ubi sunt omnia mirabilia ejus, quæ enarrabant nobis Patres nostri? Judic. 6: 13. Nobis verò vigilandum est (ita Muscul. in hunc locum) ne fidem in nobis, quæ ex veritate verbi Testimonii Dei, nos esse filios Dei credimus, tentationibus Satana, labefactari sinamus. Nam hanc miris modis infestat: ad quod sæpenumero operâ impiorum hominum utitur: præsertim sicubi nos viderit alioquin non admodum firmos &c. Adversarii Dei verbi, qui Satana contra Deum militant, ubi eos qui à veritate verbi Dei pendent, afflictionibus vident esse obnoxios; confestim inferunt, indicium esse quod hæretici sint, & irascatur contra eos Deus, detesteturque illorum sententiam. Item, ubi labuntur filii Dei ex imbecillitate fidei, & carnis partim, partim Satana impulsu, mox adhibentur ministri Satana, qui dicant, eos non esse Christianos, non esse Filios Dei &c. Munienda sunt Fidelium conscientia contra hanc tentationem, unâ verbi Dei fide, cuius etiam Apostolus nos admonet, dicens: Cui resistite, fortes in fide.

Prima tentationis
Membrum
Posterius:
de lapidibus
in panem
converten-
dis.

X. Quæ verò Satan vocem ad Jordanem auditam, à Christo confirmari & demonstrari voluit? Dic inquit, ut isti lapides panes fiant. S. Lucas, Tentatorem singulariter, de uno lapide, quem Satanas fortassis digito ostendit, locutum memorat. Frequens nimirum in S. literis est enallage numeri, quæ quod de pluribus, ejusdem ordinis & generis dicitur, de uno intelligendum. Equidem Maldonatus, non constat, inquit, atro modo dixerit Tentator, dic ut lapides: an; dic ut lapis hic? quod ineptum, ut Montacutius jure loquitur; ne quid gravius dicam. Quasi Spiritus S. tum in rem præsentem Aliptes & Agnoibetes, ignoraret, quomodo protulisset illa Diabolus, atque ideò relinqueret hoc in μέγιστον νεπέσρον, & incertum. Utrumque Tentator proloquebatur: dic, ut lapides quorum magna in eo loco copia fuerunt, fiant panes. Quasi non sufficeret unus panis, & unus lapis, vult in superfluis ut offendant. Quod si autem id nimium est; Dic, saltem ut iste lapis, unum aliquem singularem ostendens, manû arreptum, panis fiat. Hæc est Theophylacti interpretatio, & nodum dissecat, quem nobis constrinxit Maldonatus. Est ergo
ea

ea machina artificiosè fatis & callidè, inescando homini adornata. Christus post 40. dierum jejunium esurivit. Neque in loco cibus parabilis erat: neque Christus famem absque certo vitæ periculo toleraturus videbatur, donec in locum reverteretur qui victum commodè suppedicaret. Nisi ergo vitæ (cujus conservatio tantopere nobis curæ esse debeat) prodigus esse velit, *lapidi* alicui, & *huic* quidem, imperandum, ut in panem abeat. Ita & carni, seu humanitati consultum iri, & divinitatis gloriam emicaturam. Simul de providentia Patris scrupulum Christo iniecit, ut indigetavimus: Christi potentiam explorat: Denique simulat, curæ sibi admodum esse, ut Christus diu vivat, & valeat: cum nihil intentatum reliquerit, quò eum perderet. Supponit nimirum Antagonista, *primùm*, hominem solo pane vivere: quod plerisque; hominibus adèdè alitè imprimit, ut huic curæ animum unicè emancipent, panem cum vita eodem gradu collocantes; utrumque, non ut Dei, sed casus beneficium, à nostra industria & prudentia omnia pendere existimantes. Unde Ventri, sensibus, gulæ addicti, frequentissimis telis Satanae, panis, victus, nummi, comparandi causâ petuntur. *Deinde*: contendit Satan, cum nulla ratio suppetat, panis naturæ virtute producti, & humanâ industriâ parati, imperandi, & periculum in mora sit, incumbere Christo, abruptâ ulteriori morâ, lapidibus imperare, ut in panem convertantur. *Tertiò*, hoc fore ἀπὸ θεοῦ, quòd Jesus sit Filius Dei. Christus à Doctrina, non à miraculis, ministerium suum inchoare: nec potentiam ante sapientiam demonstrare, sed Evangelium prius prædicare, postea miraculis obsignare debuit. Satan omnia ordine immutato, à Christo peracta voluisset. *Denique* Christus in carne humili, omnia ad Patrem retulit, hocque pensi habuit, ut gloria ejus omnibus manifesta redderetur. Glorificavit autem eum inter alia etiam hoc, quòd dona necessaria ab eo petiit. At Tentator, Christum, non ad Patrem ablegat: quòd Pater vel nullam; vel exiguam ejus rationem haberet. Itaque Christus, quod (quippe ejusdem cum Patre Authoritatis & Potentiæ) ausit & possit, posthabito & præterito Patre, lapidibus dicat, ut panis fiant. Ut Ellipsi Grotiana, εἰπὲ τῶ θεοῦ, opus nihil sit. Aconitum dulci melle illitum! Melle suavius est, quòd Satan omnipotentiam Christo tribuit. Quàm præfens verò venenum, quòd Author ei est, ut à verbo Dei discedens, faciat, quod non potuit non ab infidelitate & desperatione de Dei dilectione,

& provida cura proficisci! Quæcunque Satan ad vitæ commoditates, & salutem, cuiquam vel dictet, vel ipse faciat, huc aurigantur ad unum omnia, ut vitam ei reddat mortiferam, & medicinam in venenum convertat.

Ejus futi-
tas.

XI. Cùm Deus nobis vitam conservare possit absque mediis: Si autem mediis uti nos velit, eorum numero abundet: Cùm porrò ad gloriam, quam omnes creaturæ Deo debent, pertineat, ut Deum O. M. omnium rerum arbitrum agnoscant: bona sibi necessaria, ei non invito extorqueant, aut ut raptores, rem alienam de se ipsis occupent, sed ex benevola ejus manu expectantes, precibus, iisque humilibus, & nutui eis omnia remittentibus ambient, *fiat voluntas tua* Matth. 6: 10. *non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 26: 39, At Satanas, Deo limites poni, & nisi hac vel illa ratione Deus nobis præstò fit, animum abjici: quin memoriam Dei in creaturis obliterari gestiens, eum insuper habere, miseris mortalibus author est: quorum illud quidem precibus nervum incidit, istud autem tantum abest ut corpori conducatur, ut ipsam animam destruat. Utrumque Deo inglorium est. In hoc tamen Spiritus scelestissimus totus est. Sufficit Deus nobis panem? Deum calumniatur, *lapidem* nobis ab eo datum, Lucæ 11: 11. Panis nos deficit? Homini suadet, & nimium multis persuadet, sibi ipsis Deus sint. Sibi aliunde prospiciant: ipsisque lapidibus (qui panis vim non tantum non habent, sed ne quidem femini, quod tritici, ut triticum panis, causa proxima, recipiendo, idonei sunt) dicant, ut panis fiant: id est, panem, amictum, victum, dignitates &c. sibi procurent, non ex terra, non modo & mediis divinitus præscriptis, sed duro, iniquo, violento &c. raptu, astu, aleâ, &c. At panis Dei donum est, quo qui carent, eum precibus à Deo contendant. Matth. 6: 11. *Qui eum comedit, & saturatus est*, gratias Deo agat. Deut. 8: 10. Absit, Satanæ hanc gloriam Deo invidenti, vacivas aures quisquam præbeat. Certè (ita Calvinus) *tunc jugulum Satanas petit, cùm hoc efficere tentat, ut nos Deo diffusi, aliter quàm per ejus verbum licet, nobis consulamus.*

Satan mu-
rationis sub-
stantiarum
Admirator
& fautor.

XII. Mutatio substantiæ unius in alteram, Dei opus est: & Filiationis divinæ, i.e. divinitatis Christi certa demonstratio, futura erat. Unde primum & V. & N. Test. miraculum, in hujusmodi conversione versabatur. Exod. 4: 3. Joh. 2: 11. Itaque Satan, Simia Dei, transubstantiationes semper in ore habet: & quantumvis nihil minùs possit,
eas

eas tamen in regno suo semper & molitur & jactat: subinde præstigiis patratis, subinde commentitiis: nec tamen sine præsentissimo Apostasiæ à Deo periculo. Saltem istud artificium, præcipuum instrumentum est, quo Idololatriam affectis suis commendat: eosque adeò demeritat, ut quanquam impudentium hominum fraus, semel iterumque Mysterium hoc iniquitatis prodat, ex veterno illo expergefieri, & mentem recipere nequeant.

XIII. Perpendendum deinceps, quòd, quomodo, unde, & quid *Cur Christus* responderit Christus? Nam *ille respondens dixit*. Respondet Christus *Satanae* *responderit?* Tentatori quidem, pro numero tentationum, Tertium. Ex confilio Spiritûs S. ipsiusque Christi exemplo, hostium mustrationes, blasphemias &c. nonnunquam generoso silentio vindicandæ sunt: iisdem tamen magistris, quandoque eas retundi, earum futilitatem, impietatem &c. omnibus profuit præstat. Est *opportunitas silentii & opportunitas loquendi* Eccl. 3: 2. Prov. 26: 4. 5. Matth. 26: 63, 27: 12. 14. Ex primo certè colloquio, quod homini cum Diabolo intercessit, tum etiam ex lege Dei, Deut. 18: 10. 11. Esaj. 8: 19. constat; malè consultos esse illos, qui sermonem cum Satana, ejusque mancipiis miscent. *Fauces Draconis infernalis, sepulchrum sunt apertum* Rom. 3: 13. 14. fatidos vapores & venenatos halitus semper emittens, à quibus, qui eos excipiunt, interimuntur: nisi venenum quod Satanae verbis inest, verbi divini antidoto enervetur. Quòd si tamen Sacerdoti quondam fas fuit, leprolos contrectare, nullà inde contractâ impuritate: nec sanè Christo, Sapientia Patris & Sanctitatis fonti, ex colloquio cum deceptore, & Spiritu omnium impurissimo, periculum imminuit Nostrâ certè plurimum interfuit, Christum certamen verbale, ab audacissimo & importunissimo hoste sibi oblatum, non detrectasse. Eva enim quæ in ejusmodi congressum, quem Satanas (ut istum cum Christo) insidiosè ambiverat, imprudens consensit, & curiosius profecuta est, in deditioem tandem se pellici passa est. At Christus insultus hostiles viriliter elisit: iisque quibus vel congregiendi necessitas esset, vel qui in conflictu deficerent, præsidium quò se recipere monstravit. *Etsi Tentator indignus videbatur responso, & responsum ad illius conversionem inutile fuit: utile tamen fuit, tum ad ejus confusionem, tum ad nostri consolationem, & instructionem*, ut Celeb. Spanh. part. III. *dub. Evang. §8. §. I. monet.*

*Primæ Ten-
sationis ner-
vus & sub-
tile vene-
ris.*

XIV. Christus ad Satanæ hypothesin respondet *Negative*: a. Se Filium esse Dei, etsi non dicat ut lapides fiant panis. b. Se vivere posse absque pane: Utróque, tum fidem voci cœlesti habitam, tum fiduciam suam in Patrem, latrante etiam stomacho integram, declarat. Respondet ergo Christus Satanæ; sed *primò*, & ad *primum* Satanæ postulatum, per *repulsam*. Equidem quod Satanæ Christo dictabat, Christo nec simpliciter *indignum*, nec *impossibile*: sed etiam *utile*, imò *necessarium* videri poterat. Cujus enim de fraudatione, & injuriâ, Christus lapides in panem mutâset? Certè id ei non magis *impossibile* erat, quàm Mosis baculum in serpentem, & vicissim: & rupem in stagnum convertere, Pl. 114: 8. *Quid magnum erat Domino Jesu de lapidibus panes facere, qui de quinque panibus tot millia satiavit? De nibilo fecit panem. Tanta enim fuerat multitudo escæ, quæ saturaret tot millia. Unde processit? Fontes, panes erant in manibus Domini. Non est mirum. Nam ipse fecit de quinque panibus multos panes, unde saturaret tot millia, qui facit quotidie in terra de paucis granis messes ingentes. Ista enim sunt miracula Domini, sed assiduitate viluerunt,* Augustini in Psal. XC. verba sunt. Vide Matth. 14: 20. 15: 37. Lucæ 5: 6. Joh. 21: 6. Denique Christus nobilissimum ejusdem virtutis experimentum dedit, Joh. 2: 9. Et quid nî de lapidibus panes facere potuisset, qui *de lapidibus liberos Abrahamo suscitaturus erat?* Matth. 3: 9. *Utile* Christo videbatur, quòd hoc argumento se Filium Dei esse demonstraret. *Necessarium*; quia hoc medio humanitatem conservasset, quæ absque eo jam jam succubitura videbatur. Denique Satanæ capita religionis Christianæ nobilissima confirmat, Filium Dei dilectum verum Deum esse: Verbo Dei omnia parere: vim illi inesse rerum naturas mutandi: miracula propriâ virtute efficere, solius Dei esse. Ut scorpium sub isto lapide latens, & cur hæc suggestio Satanæ *Tentatio* dicenda, primâ fronte minùs appareat. Inprimis cum Satan non cibi superflui, saltim non delicatuli, sed *panis* duntaxat productionem Christo commendet.

*A Christo
eliditur, A
Repulsâ.*

XV. Aures ergo Christus, quem *voûuata* Satanæ non latebant, & cui cum Satana nihil rei erat, ad ejus sibilum obduravit, nec ferram reciprocatur, cum veteratore; sed tanquam gladio, omnes ejus laqueos præscindit: & ore, tela ejus frangit. Mutis loquelam dat: sed Satanam, etiam si de ipso, & regno Dei vera loquentem, vel obmutescere jussit, vel saltim verba ejus in superhabuit, ut indigna quæ ad animum

revo-

revocarentur. Quæ prudentia & Protoplastis observanda erat, & exemplo nobis est, quod καὶ δυνώμεθα τι ποιῆν, μηδὲν πράττειν ἐμὴ καὶ μάτην, μηδὲ ἀνάγκης ἐπιχειμένης, πείθεσθαι τῷ Διαβόλῳ, monitore Chrysofostomo: Nam ut Theophilactus: τὸ ἀκούειν τοῦ Διαβόλου κατὰ τι, ἀμάσθημά ἐστι, diabolo in ulla re aures accommodare, flagitium est. Sapienter Christus non dicit, vel se posse facere, quæ petebat tentator, vel se non posse id facere, sed incedit mediâ viâ, ostendens non expedire ut hoc fiat, & sic optimè Tentatoris strophas elidit. Sic in Scriptura S. frequentissima responsa leguntur, subjecta non ad ea quæ petebantur, sed ad ea quæ peti debebant, ut nunquam satis laudati Spanhemii verba, I c. mea faciam. Nec verò opus Christo erat importuno hoc interpellatore: neque vel consilia vel subsidia ei deerant, si ita è re esse visum ei fuisset. Quid vel de lapidibus fieri, vel quid ipse posset, absque monitore illo perceptum habuit.

XVI. Porrò consilium Satanæ adversâ fronte pugnat cum consilio Dei. Deus Filii humilitate factum hominis expiari voluit. Hinc ille ἐν μορφῇ θεῶ ὑπέρχων, formam servi induit, & ita in ea conversatus est, ut nec vociferatus sit, nec vocem suam in plateis extulerit, Esaj. 42: 2. Satan quasi Filium Dei, tanta humilitas non deceret, & esurire longè infra ejus dignitatem esset, voluit eum se jactare, & alta semper spirare: non filii Dei amore, sed odio gloriæ Dei, & salutis nostræ, quæ Christi humilitate restauranda fuit. Christus Satanam humilitate, non potentia vincere voluit, Hieronymus inquit. Satanus vocem cælitus auditam, si non Christo, saltem nobis suspectam & dubiam reddere voluit: at Christus non lapidis, ad dictamen Satanæ, mutatione in panem, sed in præsens quidem sapientissimo responso, quo omne acumen humanum, sapientius nil excogitasset, adeoque illustriori modo quàm Satan postulabat, quòd Christus Filius Dei sit, tum conservationem vitæ animalis, à miraculo suspenderet, Christus ostendit neutrum indigere miraculo. Non illud: quia id & voce Patris, & S. Scripturæ & suis actionibus abundè liquebat. Non hoc, quia in eadem Scriptura aliud medium suggerebatur. Sed Satan, quò oculos & animum à Scriptura averteret, miraculum facere ei suadebat. Christus ex adverso inculcat, Scripturæ potiolem quàm miraculorum habendam rationem: & loquente Scripturâ, fidem non miraculis, sed solâ Scripturâ

Rationes
Repulsæ.

turâ fulciendam. Quod si te sic tentat, ut dicat tibi, si Christianus esses, faceres miracula, quomodo fecerunt multi Christiani: Tu jam suggestionem malâ deceptus tentares Dominum, & diceres Domino Deo nostro, si Christianus sum, & sum ante oculos tuos, & in aliquo numero tuorum me computas, faciam & ego aliquid, qualia multa fecerunt sancti tui. Tentasti Deum, quasi non sis Christianus, nisi hoc facias. Multi hoc desiderantes ceciderunt. August. Psal. XC. Tertio, non legimus Christum propria sua commoda miraculis promovisse: cumque omnes creaturâ nutui ejus parerent, necessitati suæ tamen non sine ordinariis mediis consuluit. Aliorum causâ homo factus, divinam virtutem vix, nisi in alienos usus exeruit. Denique, quicquid tandem Christus suggerente & præsentente Satanâ fecisset, cavillandi causam hosti præbuisse: an Christi miracula Prophetarum miraculis tanto intervallo superiora sint, ut illi nonnisi servi, ipse Filius Dei agnosci debeat? Cum Satanæ satellites Christo cruci affixo similibus verbis insultarent, eique occinerent, si Filius Dei, si Christus, si Rex Israelis es, Descende de cruce ut videamus, & in te credamus. Christus hanc injuriam sacro itidem silentio: non rationibus, sed facto ultus est. Matth. 27: 40. Marc. 14: 32. Luc. 23: 37. 39. Conf. S. 10.

B. Ex sola
Scriptura.

XVII. Cum verò Christus ex pluribus aliis fontibus responsa sua derivare potuisset: ut Propheta & Doctor Ecclesiæ suæ, ad τὸν λόγον προφητικὸν sermonem propheticum, omnibus aliis quorum usus in populo Dei esse posset βεβαιώτερον firmiorem, 2. Petr. 1: 19. se convertit. Vide arma Christi, quibus tibi, non sibi vicit! Ambrosius exclamat. Dixit: scriptum est: Christus sapientia Patris, cujus Spiritus locutus est Prophetis, & in Prophetis olim docuit; 1. Petr. 1: 11. 3: 19. Angelus, ἐν διαταγαῖς ἀγγέλων, Mosi in monte collocutus, Act. 7: 38. Hic primam, quam post susceptum munus publicum edidit, & in Scriptura consignari voluit sententiam, ex Scriptura repetit. Suo exemplo, quod instar regulæ nobis sequendum est, nobis præscribens, quibus armis Tentatori occurrendum sit. Pariter atque si fortis quidam Gigas (ut cum Musculo loquamur), hostem non suis, sed Tyrunculi sui armis, feriat, & prosternat: non hoc tantum agens, ut hostem vincat: sed simul & hoc, ut Tyrunculum suum instruat, & animatum reddat. Ut intelligamus (idem in sqq. ait) hanc illum pugnam, magis nostram quam suam egisse causam. Fides ex auditu: nimirum verbi Dei: non ἀγγεῖλε, sed ἐγγεῖλε Rom.

Rom. 10: 17. Fide tentato, Deus in verbo suo consulendus est. Hoc etenim verbum & *semen* est, ex quo fides Dei generatur: & *lac*, quo in corde formata alitur: & *norma* actionum corporis mentisque, consiliorum & votorum faciendorum, & *lux* oculorum unice observanda, & *ὀπλοθήκη* *armamentarium* & *gladius* quo nodos ab hostibus Dei obiectos secamus, Hebr. 4: 12. nimirum (ut Ephes. 6: 17. nuncupatur) gladius *Spiritus*, diversus ab eo, quo Reges & populorum principes jura sua tuentur: gladio tamen eorum longè penetrantior. Cum enim τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας, *malignus Spiritus*, cujus malitia imprimis nobis extimescenda, & spiritui potius quàm corpori, nec corpori nisi ob Spiritum noceat, ferrum ridet ut stipulas. Neque eo ad regni Dei intra hominem plantationem, confirmationem, conservationem quicquam promovetur. E contrario, *Spiritus Dei* docet, verbum suum in sacra hac militia gladii vicem operamque felicissimam præstare. Verbum Dei & Spiritui *infernali* conficiendo, & Spiritui *humano*, sive ex hostis illius manibus asserendo, sive adversus ejus impetus tuendo, par est. Hinc Christus hoc gladio unice fretus, Satanæ ictus excipit: eademque operâ librorum V. Test. auctoritatem, sufficientiam, efficaciam, perspicuitatem validissimè vindicat. Attamen, qui flos Christianorum haberi volunt, eos, qui sive veritas contra errores, sive virtus contra vitia asserenda sit, his armis unice militant, calumniantur, quòd hoc caractere se prodant, quòd hæreticorum soboles sint, & in hæreticorum castra se recipiant: ipsi Exorcismis, incensis, rosariis, aquâ lustrali &c. unice nixi. Hinc Calvinus haud injuriâ: *Papistas quasi factâ cum Satana pactione, animas crudeliter exponere ejus libidini ad interitum, cum Scripturam malignè supprimentes, Dei populum spoliant suis armis, quibus solis salutem suam tueri poterant. &c. Nec sanè alia ratio est, cur tam potenter grassetur Satan, & passim tam multos abripiat, nisi quia eorum ignaviam, & verbi sui contemptum Deus ulciscitur.* Consulere de his juvabit, viri senio & meritis gravissimi, D. Caspari Wolphii Affinis & collegæ honoratissimi, eruditissimam Dissertationem quam *Antidotum Penurie* inscripsit.

XVIII. Cum Tentatoris insultus adversus nos assidui, & nobis Tentatio à tentatione non parùm periculi sit, primò caractèrem tentationum in promptu habere, è re est: unde ipsius tentationis natura, indoles, factitas, noxa, ultrò patebit: Et tentationes bonas à malis, Dei & creaturarum

C

Tentatio
num Cha-
racter. &
Antido-
των.

rarum discernere licebit. *Deinde* etiam antidotum, quod adversus eam munit. investigare lubet: Utrumque pandit ipsa Christi responsio, non unâ aut alterâ vice data, sed in singulis cum Satana congressibus repetita, & confirmata. Cùm enim Christus Satanae dictamini, sententiam Scripturæ opponat, meridianâ luce clariùs patet, omnem suggestionem aut insinuationem, quæ Scripturæ S. adversatur, & quovis modo ab ea abit, *tentationem* esse: adeoque non suspectam tantum, sed horrore jure merito haberi. Cùm enim verbum Dei consiliarii nostri, lucerna pedibus nostris, Canon secundum quem incedere oportet, Dei consilium sit; necesse est, quidquid cum verbo hoc adversâ fronte pugnat, & à Scriptura redarguitur, opus tenebrarum, mortis atrium, Diaboli escam & laqueum, ראש ולענה שורש פורה *amaram radicem, fructuosam veneno & absinthio*, Deut. 29: 18. Hebr. 12: 15. esse. Cæterum tentationes, A. à Deo immittuntur: & quidem vel *bonis* vel *malis*: alia *mediate*, alia *immediate*. Cùm boni tentantur, eorum constantia apricatur, eorumque exemplo alii ad fortitudinem excitantur & animantur: cùm mali tentantur, eorum ferè securitas & levitas manifesta redditur, quo alii eorum periculo sapere discant. *Immediate* à Deo tentatus est Abraham, Gen. 22: 1. Israelitæ, Deut. 8: 2. 16. *Mediata*, tentatio vel per bona & sancta instrumenta fit, ut tentatio Pharaonis per Moysen &c. vel etiam per opera providentiæ Dei, secunda & adversa, ordinaria aut extraordinaria, 2. Chron. 32: 31. vel per instrumenta mala, Deut. 13: 3. Deo semper finem bonum intendente, gloriam suam: exitu verò filiis Dei quicumque is fiet, salutari. Quia etiam si eos in tentatione vacillare quandoque contingat, tamen mox animam recipiunt, & redit in præcordia virtus. Eventus malis semper tristis est, quia suâ culpâ, inferiores pugná exeunt, & nunquam eluctantur. Deus autem non tentat ad malum: quia neque malum suadet, neque admissum probat. B. Tentationes à *creaturis* profectæ, diversissimæ indolis sunt. Quodcunque consilium, monitum, editum, verbo Dei repugnans, tentatio est adversus quam militandum. Hujusmodi sunt omnes suggestiones & omnia consilia Satanae. Quamquam is non primo impetu se denudat, sed per cuniculos nos aggreditur. Patris vestigia premunt filii inobedientiæ, mundus, nominatim falsi doctores, de quibus Deus Deut. 12: 1-4. *Quum Propheta ediderit signum aut prodigium, dicendo, sequamur Deos alienos, ne auscultato: quia*

quia tentat Jehova vos, ad cognoscendum an sitis amantes Dei vestri, ex toto corde vestro, & ex toto animo vestro. Jehovam sequimini. Deus dicitur ita tentare: quia ejusmodi Satanæ emissariis & exploratoribus indulget, ut velitationibus suis, eos quibus eloquia Dei concredita sunt exerceant. Non quòd graves illos lupos amet, consilia mala illis dicter, eosve armet: sed ut populi fidem exploret. Planè ut Imperator strepitum & tumultum ante conflictum excitat, quò tyronum fortitudinem & constantiam experiatur. Cæterum ut Petrus Christo, Satan: Elymas Paulo, *Filius Satanae* dictus, quia ut Satan, ille Christum, hic Paulum, avocare ausi sunt, ab opere, quod à Deo & Christo in mandatis habuere. Pariter qui sive consiliis, sive exemplis pravis, proximo laqueos tendunt, eumque tentant, Satanæ vestigia premunt. C. Tentationes ejusmodi multæ etiam *domi nostræ* nascuntur. De quibus Jac. 1: 13--15. Confirmat S. Apostolus à nobis dicta. Neminem à Deo ad malum vel tentari, vel tentari posse. Sed cum Diabolo *tentatoris* nomen competat & ille totus in eo sit, ut nomini huic respondeat, cur v. 14. sola *concupiscentia* tentationis causa dicitur? Tentat sanè etiam Satan. Sed forinsecus, suadendo, irritando, sollicitando. Porro actio hæc Satanæ mala est. Hominem in discrimen & sollicitudinem adducit: tamen reum nondum constituit. Inter plurimas hujusmodi tentationes, homo sanctus & purus manere potest, ut Christi exemplum evincit. Sed cum Satan concupiscentiam hominis, sive securam sive volentem, sive paucioribus sive pluribus actibus consentientem, expugnat, & in partes trahit, tum demum homo reatum contrahit. Sive verò concupiscentia *aliunde* stimuletur ad aliquid amandum & prosequendum quod lex prohibet, aut fugiendum omittendumve officium à lege commendatum: sive concupiscentia talis *innata* sit, eadem *μεθοδεία πλάνης* utitur: *ἐξέλκει*, elicit, movet, stimulat, unde *concupiscentia* dicitur: *δελιάζει*, rei ad quam stimulat non nativam faciem, sed fucò illitam ostendit, & cum detestanda sit, blandulam reddit. Noxium & turpe, voluptatis, libertatis, necessitatis nomine commendat. *Antidotum*, panacea, panoplia, pesti huic opponenda, non alia præter ipsum verbum Dei. Eo nomine, postibus ædium, manibus, cordibus, inscribendum, quò copiosè in nobis habitet cum omni sapientia, & in nobis maneat.

Locus Deut.
8:3, oppor-
tunus. Sa-
tana opponit
exemplum
Israelita-
rum,

XIX. Quid verò scriptum est? *Non solo pane vivet homo, sed quovis verbo Dei*, Luc. 4:4. Ex Deut. 8:3. Ubi Spiritus S. ארוכל כל הרוח קוֹיִן פִּי הַיְיָ *quovis prodeunte ex ore Dei*. Quæ cum sint circumscriptio Verbi Dei, Lucas non tantum Metaphrastæ, sed etiam Paraphrastæ, seu Interpretis (ut subinde Scriptores Sacri, Testamenti Veteris loca allegantes, solent) vice functurus, *Verbi Dei* vocabulo ea exprimit. Matthæus: ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένω δια σώματος θεοῦ. Cum Chaldeo & LXX. Interpp. addit, ῥῆμα, quod Moses non habet: Verbum ζήσεται ex Mose, cum LXX. non repetit, sed *omittit*. Cæterum verba hæc Mosis, primâ fronte remotiora, & à re præfente alieniora videri possint. Bis tamen ad rem faciunt. Tanquam *exemplum*, & tanquam *monitum*: falsamque Satanae suggestionem, (de qua § 10.) quasi Christus sine pane diutius vitam prorogare nequeat, evertunt. Enimverò aurea hæc gnoma à Mose pronunciata & inculcata est, occasione Mannae. Cùm ordinaria ratio panem per agriculturam ex terra colligendi, Israelitis denegaretur, eos de victu nimium angere non debuisse, nec victum eis defuisse, Moses monitor est. Ostendente nimirum Deo, Mannam depluente, quod illis panem ex nubibus sufficere queat. Bullingerus, Illustre Ecclesiæ nostræ Decus, verba hæc Mosis ita illustrat: *Duxit quondam cælestis Pater populum suum, quem prædilectum, & primogenitum appellavit (quemadmodum ego nunc illius Spiritu in desertum subductus sum), In desertum &c. esuriit autem in deserto populus (Numerosus scilicet: & quidem per quadraginta non tantum dies, sed solidos annos): nec quidquam quod ederet invenit, nisi lapides, Petras, spinas, esse libuisset: quemadmodum nunc quoque mihi objicis, aut fame perendum esse, aut panem pinsendum ex istis lapidibus. Ceterum invenit Dominus viam ac rationem certam, quâ pasceret famelicos, quos hæcenus sic probare, non irâ ac odio perdere voluerat, &c. vitam eorum conservans: ut ut solidos quadraginta annos panem non comederent, Deut. 29:6.*

Et promissio-
nem, ac præ-
ceptum Dei.

XX. Eadem hæc verba *celeusma* officii nos admonens, esse possunt. Nimirum eis primò falsa vitæ causa, quam Satanas inculcabat, rejicitur. Satanas compellabat Christum, ut *Filium Dei*: si filius Dei es, inquit. Christus respondet de *Homine. Homo*, ait: quisquis animalis vitæ gaudet, sive satur, sive famelicus, sive necessariis adundans, sive iis destitutus. Si autem quisvis alius, quidni & ego? *Filius quidem Dei*

sine pane ad vitam hominis conservandam efficax esse potest. Qui panem nunc in nostri alimoniam sufficit: si videatur, & opus sit, aliter, ut vivamus efficere potis est. Quin Christi verbis & hic sensus inesse potest: qui his quadraginta diebus me exemplo esse voluit, quod homo solo verbo suo sine pane vivere possit, ejusdem verbi virtute vitam meam prorogare potest. Neque aded tentatorem audiens, ad media ordinaria me recipiam. Deo, ut hoc vel illud fiat, i. e. ut homo vel cum pane, vel sine pane vivat, non aliâ re, quàm verbo opus est. Loquente ac jubente eo protinus se omnia sistent. Cùm etiam Satan putaret, Christo ad vitam continuandam, multis verbis, quibus lapidibus imperaret, ut panes fierent, opus esse, Christus docet, hominem *quovis vivere per Dei os prodeunte*. Unico verbo sibi opus esse. Unico se plus effecturum quàm Satan ei præscripserit. Ita Christus monito, luculente Dei promissione munito, fretus, media panem comparandi monstrata, refugit & providentia Dei Patris, curam sui relinquit.

Verbum ex ore Dei egrediens geminum. XXI. Egredi ex ore Dei, de quovis verbo quod φεύγει ἐξ ἔκδοτος δόντων, seu πρὸ φωνῆς ἡμῶν pronunciato, etiam humano, Num. 32: 24. adhibetur. Deo verò tùm os, tùm aliquid ex ore egrediens i. e. verbum, per ἀνθρώπου πλάσσειαν tribuitur. Porrò cùm scriptura & λόγον, substantiale & personale Dei verbum, & ἡμῶν θεοῦ commemoret, de posteriori h. l. agitur. Notum est ἀνθρώπου πλάσσειαν id dici exire ex ore Dei, quod vel decreto vel promisso Dei destinatur ad hunc vel illum effectum producendum, Clariss. Spanhemii verba sunt, part. III. Dub. Evang. LIII. §. 4. Hoc Dei verbum vel ad homines, vel de hominibus est: illud ad nostras, hoc ad Dei actiones pertinet. Verbum ergo ex ore Dei egrediens, est quod à Deo sive pronunciatum articulata voce, uno pluribusve audientibus: sive uni inspiratur, & quasi dictatur ad calamum: aliis manifestandum. Deinde *verbum per os Dei egrediens* dici possunt, ea quæ Deus providentiâ ordinariâ, aut extraordinariâ exequitur. Prius *verbale* sive *præcipiens*, hoc *reale* seu *efficiens* verbum dici meretur. Illo officium quod Deus ab hominibus fieri vult, inculcatur & exprimitur: Hoc, quod in hominibus fieri vult, ipse operatur. Illud Spiritu Dei dictante, per viros Dei in Tabulas relatum. Hoc verbo Dei facti sunt cæli, & omnia. Hebr. 11: 3. Deus naturam formans, verbo (i. e. imperio) usus est. Dixit & factum est. Ps. 33: 6. 9. Eodem verbo Deus omnia, filios in primis suos & spon-

sponsam, *partat* Hebr. 1: 3. Omnia non tantum sustinens, sed & juvans, promovens, instar aquilæ pullos, vel nutricii aut etiam Patris pueros, ne cadant, viribusve frangantur, gestantis. Aquila alis: pater ulnis: Deus autem τῷ πῦματι τῆς δυναμειος αὐτοῦ. Hoc verbum est aeterna Dei voluntas, ut mundus ad gloriam ejus, eo ordine, modo, & tempore existat, quo ab aeterno voluit: in tempore manifestanda. Pariter omnis Dei voluntas ut hoc vel illud (sive per media sive absque eis: sive ordinariè sive extraordinariè) in mundo fiat, sive imperio, sive solâ Dei ipsius operatione se proferat, quia ab eâdem sapientiâ & potentiâ proficiscitur, *verbum Dei* dicitur. Nimirum, Principis, Heri &c. consilia ab inferiore, nequeunt executioni mandari, nisi os aperiat, animique propositum famulo prodat. Pariter mundus & quæcunque in eo geruntur, à *verbo Dei* profecta dicuntur. Ne ignoremus omnia tum Deum autorem habere: tum eundem solum, liberè, potentissimè omnia producere.

XXII. *Omni hujusmodi verbo homo vivit.* *Præcipiente:* ad *Homo vivit* Ecclesiæ institutionem & consolationem viris Dei dictato & S. literis *utroque.* comprehenso. Id si verâ i. e. vivâ fide recipiatur, *cibus*, Joh. 4: 34. Hebr. 5: 12. qui editur cum creditur: *medicina*, Prov. 3: 8. *Arbor vitæ* Prov. 3: 18. *fons vitæ*. Ib. *vita animæ*: 3: 22. 10: 11. cluet. Conf. Deutr. 32: 27. prov. 3: 22. 19: 16. *Non ergo in solo pane vivet homo, sed in verbo Dei: verbum Dei dirigit eum, ducitque eum in omnibus ut rectè & honestè incedat, ut non solum in externo cibo vivat, sed in Deo potius &c. In verbo Dei vivere, est juxta præscriptum divini Spiritus in omnibus agere, & illo niti &c.* Pientissimi Zuinglii verba sunt, Op. T. IV. p. 10. Et opportunè Chemnitius: *Quando verbum quod ex ore Dei egreditur, sive in vocatione nostra, sive in promissione gratiæ habemus: tunc egreditur etiam ex ore Domini, verbum auxilii. Hoc est, efficacia verbi Dei potest, sine, præter, imò contra ordinem causarum secundarum nobis consulere, si Deus voluerit & nobis id salutare judicaverit.* Ut verbum hoc, & vitæ caducæ regula: & cœlestis pararium sit. Adeoque Christus inculcat, obedientiam mandatis Dei præstitam, vitæ, & quidem solidæ incorruptæ que vitæ, meliorem viam patefacere, quàm creaturarum usum. *Deinde, Homo vivit* verbo Dei *efficiente* & jussione potente, absque qua media præstantissima, si adsint, nil possunt; Si absint, sola efficit quidquid ad gloriam Dei & nostram salutem fieri conducit. Nec adeo vita in pane

collocanda, ut vel eo destituti desperemus: vel in ejus abundantia (ut illi quibus venter Deus est) aut saturitate acquiescamus, Luc. 12: 15. sed in pane vel acquirendo, vel adhibendo, verbi divini præscriptum sequamur. Ad eò forte quâ Dei nutu frui contingit, quisque meritò acquiescit. Ordinariis mediis deficientibus, non statim (& præter & contra Dei verbum S. literis exhibitum) ad extraordinaria præsidia, nedum ad fraudes aliasque artes malas, contendendum. Sed & deficiente pane &c. à providentia Dei pendendum, certâ spe fretis Deum prospecturum. Gen. 22: 8. Psalm. 37: 3. sqq. præstâtque verbum Dei & consilium de nobis exspectantes, algere, languiere, lugere, lacrymari, quàm Satanæ verbo obtemperantes, ejusque consiliis obsequentes calere, valere, lætari, vigere. Vulnere Dei medentur: Satanæ medicina occidit. Fames Deo jubente tolerata conservat. *Nam homo vivit omni verbo prodeunte per os Dei.* Satietas à Tentatore procurata perdit. Gen. 3: 16, sqq. Ad Gaulterii verò, Perronii, Veronii, Walenburgiorum &c. ruborem facit, puòd Satan non excipit, illa Mosis verba, quia nil de Christo, nil de ejus fame dicunt, non ad rem facere: non totidem syllabis ea de quibus controvertitur à Mose commemorari. *Nam nondum sophistica illa à tentatore excogitata fuerat, quam ultimorum temporum malignitati reservavit,* Spanhemius l. c. §. 5. ait.

Alter con-
gressus.

XXIII. Cùm Christus ad pusillanimitatem pellici non posset, audaciâ eum perdere Satanus satagit. Ad sinistram seducere conatur. Cùm fidem ejus extinguere nequiret, prædientiam temeritatémque ei inspirare machinatur. Ut puerum Matth. 17: 15. uno momento in aquam, alio in ignem præcipitavit. Extrema amat. At medium tenuere beati. Tunc παραλαμβάνει *assumit eum Diabolus, in sanctam urbem, καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον super pinnas templi: Dixitque ei, si Filius es Dei, βάλε σεαυτὸν κάτω, dejice teipsum deorsum. Nam scriptum est: Angelis suis mandabit de Te & ipsi attollent te in manus, ne quando offendas ad lapidem, pedem tuum.* Matth. 4: 5. 6.

ἐναντίον
φάσει,
in ordine
ἑνταίον
num.

XXIV. Exercitos admodum Interpretes habet, quòd congressui huic qui Matthæo secundus est, à Luca tertius locus assignatur: qui Matthæo agmen claudit, Lucæ secundus fuit. Huic similibusque locis, idem Spiritui S. evenit, quod Jacobo Patriarchæ filiis Josephi benedicenti, dextram autem minori, sinistram minori natu imponenti. Id displicuit Josepho. Eoque Patri suo dixit: *Non ita Pater mi, quum iste sit*

fit primogenitus: *Impone dextram tuam capiti illius. Renuit verò Pater ejus, dicens, non fili mi, novi.* Gen. 48: 17--19. Si Jac. Fabro Stapulensi fides, Codices reperiuntur, in quibus uterque Evangelista eundem ordinem observat. Et Ambrosius in Lucæ explicatione eandem tentationum seriem retinet, quæ in Matthæo est. Unde etiam Montacutus aliique trajectionem hanc librariis tribuunt, quæ tamen non casu certè, in S. Lucæ Annales irrepsit. Qui in Evangelica Historia nullam transpositionem, vel ὑστέρων ἀεὶ τερον admittere volunt, contendunt, tentationes à S. Luca descriptas, ab illis quas S. Matthæus narrat, diversas esse. Etsi enim quoad rem conveniant, alio tamen tempore accidisse. Et quidem præcedere illas quas Lucas exhibet. Sed hoc est, nodum in scirpo quarere. Non rara ordinis, in ejusdem rei narratione, mutati exempla. Rom. 13: 9. interdictum *Adulterii* præmittitur: sequitur Præceptum *de non occidendo*, quod in Decalogo sextum: illud, septimum locum occupat. Ipse Moses eandem vel historiam, vel orationem repetens, arbitrario ordine utitur. Hæc eos ingenii, excitamenta fidei, excitabulum industriæ sunt. Scriptores Sacri passim diversis, non adversis viis, ad eandem metam contendunt. Ad summam rei, inprimis in factò Satanæ (qui confusionis omnis & ἀταξίας Architectus), & ad salutem nostram sufficit, tenere, S. Lucam qui S. Matthæo posterior scripsit, minimè sibi proposuisse, hujus narrationem corrigere, & vera jugulare: tum in hoc eos conspirare, quòd perspicuè tradant, quibus insidiis Satanas Christum circumvenire voluerit: & quâ Christi dexteritate de arena decedere coactus sit. De ordine non anxie nimis nobis laborandum. Non tamen de nihilo, primò, quòd S. Matthæus utitur particulis ποτὲ, πάλιν, quibus tanquam totidem fibulis seriem tentationum connectit. Similes articuli in S. Luca non leguntur. Deinde, in ordine quem Matthæus adhibet, gradatio est tentationum: à leviori ad graviorem. Illam de adorando Satana gravissimam esse nemo inficiabitur. Certè adoratio hæc Diaboli, Christo proposita, tam impudens fuit: & Christus, ut ejus responsum docet, ab ea adeò abhorruit, ut vero simile sit, Christum deinceps cum hoste conferre noluisse. Ut haud inviti illis accedamus, qui Matthæum ordine *historico*, Lucam *arbitrario* uti existimant. Cùm Lucas noverit, rem quo ordine peracta est à S. Matthæo digestam, aliò eum respexisse necessum est: Cujus rei aliæ aliæque rationes ad-

ducuntur. Qui superiori capite genealogiam Christi ad Adamum usque perduxerat, videtur nonnullis, in recensione hujus historiae, in animo habuisse, comparationem Primi, & Secundi Adami instituere. Quod nimirum Satan Christum, utut diverso ordine, ad eadem tamen opera carnis seducere voluerit, quibus prior Adamus succubuerat. Denique ex Matthæo constat, quo ordine Satan usus sit: ex Luca, quod Satan, *μεθ' οὗ* quam *μεθ' οὗ* studiosior, serpentis instar finuosus sit, & vela subinde vertat.

Qui Christus
à Satana
assumtus ?

XXV. Hactenus serpentinâ calliditate usus Satanus, deinceps leoninâ feritate in Christum irruit: & iteratò quidem. *Primum* enim crudelitatem in se ipsum: *deinde* injuriam in Patrem ei persuasurus. Pater & Filius, planè singulari & tenerrimâ fiduciâ, conjunctissimi sunt. Nam si Deus Christi Pater, Christus Dei Filius est, mutuum eumque tenerrimum inter eos affectum esse necesse est. Vinculum hoc Satanus sublatum volebat. Primâ tentatione negare molitur, Patrem rationem habere Filii. Jam Filium fiduciæ suæ in Patrem experimentum dare vult. Ictum hunc duplex Satanæ factum antecessit. Quod Satan Christum *a. assumpsit, b. & in pinnaculo Templi constituit.* Itaque *tunc*, cum Christus à verbo Dei, rupe illâ quâ nititur, & cui adhæret sapientissimus quisque, Matth. 7: 27. ad Satanæ placita, & suggestiones superandas depelli non posset, Satanus *παρελαμβάνει* *assumit eum.* Id viri ἐν πρώτῳ βαθμῶν interpretum Scripturæ constituti, Gomarus, Paræus, Montacutius, Lightfotus, ita interpretantur, ac si Satan Christum ad illam Templi & montis summitatem vigestârît, & per aërem raptarit. Equidem hujusmodi gestatio, si voluntaria fuerit, non coacta, non impossibilis fuisset. Cùm tamen evidentibus difficultatibus exposita, nec tanta necessitas sit ejus asserendæ, planiorique ratione rem gestam concipere liceat, eam pluribus persequi nolumus. Quidni enim Satan dici possit, Christum assumpsisse Comitem, blandis verbis (forte an haud multum diversis ab illis, Joh. 7: 3. 4.) invitatum, ut præeuntem pedestri itinere, lubens tanquam athleta (ut Origenes monuit) Tentatorem suum sequeretur: eodem videlicet Spiritu actus, quo desertum ingressus erat. Quemadmodum e. g. Marci. 9: 2, Christus montem sanctum conscensurus, dicitur tres discipulorum assumpsisse. Hinc Lucas vocem Matthæi *παρελαμβάνει*, exprimit per *ἀγειν, ἀνάγειν, ducere*, Luc. 4: 9. quæ omnia deduc-
tioni

tioni congruentiora sunt quàm gestationi. Montacutius, à se ipso
discedens *præuendo*, inquit, *manu deduxit*.

XXVI. Duxit, non tergiversantem, sed prono promptoque ani-
mo vestigia prementem, in & per *urbem sanctam*, Matth. 4: 5. *Quæ*
שׂר הקדש Esaj. 48: 2. עיר אלהינו הר קדשו, *mons hereditatis*, *Locus*
quem Deus formavit, ut ibi commoraretur, Exod. 15: 17. *Civitas Dei*
נוסרי, *Mons sanctitatis*, Psalm. 48: 2. *Civitas Magni Regis* Matth. 5: 33. *μνησ-*
πολις in qua Deus non tantùm אור lucem, candelabrum, sed etiam אור
ignem, focum, imò תנור *furnum* sibi esse voluit, Esaj. 31: 9. נוה *domi-*
cilium, Exod. 15: 13. Cultûs sacri officina. Equidem illa civitas,
Jerusalem cum filiis suis serviens, Gal. 4: 25. maturè in *meretricem*, *do-*
mûsque Dei in *speluncam latronum* degeneravit, Matth. 21: 13. Tamen
ab eo etiam tempore, passim adhuc ab ipso Spiritu S. *Civitas sancta* de-
nominatur, Dan. 9: 16. Matth. 4: 5. 27: 53. &c. Nimirum ut Cana-
an, *Terra sancta* dicitur, quia hereditas Dei, i. e. quia possessio fuit po-
puli, qui Dei סגולה & hereditas erat. Ita Hierosolyma *urbis sancta* di-
cta, eò modo, quo *mons*, cui Templum incumbebat: & *aurum*, quod
postibus aliisque partibus Templi illitum erat, *sancta* dicebantur: quia
Templò sanctificabantur. Templum autem *sanctum* dictum, quia
Sanctus Israelis in illo colebatur. Inprimis verò urbs & Templum dice-
bantur *sancta*, quòd idem Sanctus in carnatus, magnam temporis par-
tem quo publicè officio suo defuncturus erat, in eis consumpturus erat.
Adytum *Sanctum Sanctorum* nuncupabatur, ob symbolum præsentia
Dei. Atque hoc urbis hujus Encomium ita solemne fuit, ut alteri
Siclorum parti inscribi consueverit, ירושלים קדשה, *Jerusalem sancta*.
Eodem nomine hodieque non tantùm Judæis, sed & Papicolis, imò
& Turcis venit. Postquam verò ob cultum Dei, ipsumque in ea ur-
be apparentem Deum spretum, loci sanctitas, ejusque causæ cessârunt,
ideoque βδελυγμα ἐρημώσεως, *abominatio desolationis* loco divinitus im-
missa, non tantùm loci sanctitas expiravit, sed ipsa civitas esse desiit:
novâ civitate Dei, verè sanctâ ei substitutâ, Apoc. 21: 2. Discrimine enim
populorum sublato, *tota terra Dei & sancta* facta, omnes populi, & lin-
guæ & gentes Deum coluerunt. Ipsa Ecclesia ex omnibus gentibus
illis collecta, quæ Jerusalem ἡ ἀνωθεν, *quæ sursum est*, dicitur, Gal. 4:
26: civitas sancta & Templum sanctum est, in quo Deus non ampliùs
per symbolum visibile habitare voluit, sed qui olim à populo suo in

carne conspici voluit, per passiones consummatus, in cordibus ejus per Spiritum habitat: donec omnes cœlum ingressi fuerint, in quo Templum & Sol ipse Deus erit. Certam in terra urbem Scriptura hoc elogio non dignatur, nec locum alium alio sanctitate potioem ducit. Quod enim aliqui hanc lauream sibi vendicant, quid est, nisi vulgi fascinum, ne illi errare credantur, qui Scripturam blasphemant, & Scripturæ discipulos persequuntur tanquam hæreticos?

Pinna Tem-
pli.

XXVII. Urbem hanc Christus docendi causâ jam jam salutaturuserat. Antequam verò id fieret, se per eam duci patitur, à Satana, cui facerrimæ civitatis magna pars domicilium jam præbuit: mox Christo Domino suo abnegato, in castra hostis hujus palam transitura. Porro cùm Templum urbis sanctæ, locus sanctissimus esset, Christus Satanam eò usque sequitur, & Hodego hoc, pinnaculum Templi per cochleas conscendit. Siquidem Templum octodecim jam sæculis, in ruderibus jaceat & vocabulum πτερύγιον extra hanc historiam in N. T. non legatur, de pinnaculo hoc, tot ferè sensus sunt quot capita. Vir quidam doctus, quem Clariss. Ittigius *Hist. Eccl. Tom. I.* perstringit, per pinnaculum Templi, conclave Gasith intelligit: ubi Christus à Satana collocatus, coram synedrii confessu, à Diabolo, de arrogato sibi Regis nomine accusatus, & illic se proripere jussus fuerit: quod *in re seria ludere esse*, laudatus Ittigius jure meritò pronunciat. Barthius ex Scriptoribus Classicis rem omnem confecisse sibi videtur. Nam apud eos, fastigium operum, Græcis πτέρον, πτερύγιον, item ἀετός, δια τὸ εὐοικῆναι πτέρυξιν αἰετοῦ, ut Eustathius ait: Nec non Aristoph. *de avibus*: πῶς τῶν ἱερῶν εἶγας πτεροῦ καὶ αἰετοῦ καλοῦσι. Eodem tenet Hefychius, cui πτερύγιον est, ἀκρωτήριον (*ornamentum fastigiorum fastigiis altius*) τὸ ἐπάνω τῶν ναίων ἀνατιθέμενον, *Templis impositum*. Unde fortassis conjectura ab orientalium moribus alienissima, viris tamen olim Magnis probata, pinnaculis quondã pinnas additas: ut hodie laminæ sive vexilla infiguntur. Juxta LXX. πτερύγιον respondet voci פִּנָּה, פִּנָּה Prov. 9:3. Inprimis voci פִּנָּה, quæ tum alas, tum rei *extremitatē* notat, unde τὸ πτερύγιον simili voce, etiam πτερίπτερον, πτερίδραμον dicitur: propriè (à πτέρυξ ala) *exiguam alam* significans. Hammond in h. I. Erasmo Schmidio aliisque eruditibus denotat exteriorum circuitum, qui tectū ambiabat, ne quis tecto caderet, פִּרְיָה Deut. 22: 8. quod LXX. reddunt, σφάγγη, *lorica* in tecto. Laudatus Schmidius *eminentias ex amb-*

bitæ

bitu *σε φάνης* (ut *penna*, vel *pinna ex ala expansa*) enatas, fuisse censet. Ei tamen sententiæ objici solet, ex Joseph. belli *Jud.* VI. 14. partem Templi summam, aureis veribus, consitam & constratam fuisse, adeoque inaccessam, *ὡς μήτινι περὶ κλαδεζομένῳ μολύνοιτο τῶν ἀγνέων*, ne ab ave insidente pollueretur. Doctiff. Reiherus *Matthes. Mos.* p. 518. observat, muro quo ingentis altitudo montis circumsepta fuit, *loricam cum pinnis impositam*. Hujus Loricæ Schema l. c. exhibet, Schmidiano simile. Addit: Milites præfidiarios in ea locari consuevisse. Christum per viam *Ἐ* ascensiones ordinarias, invisibili modo (quod ego præstare non lim), ad loricam muri à Satana ductum, ut ex pinnis ad imas montis radices se præcipitaret. Clarissimo Marckio, fortè *altissimum Templi tectum* est.

XXVIII. Celeb. Cocceus observat, Templi tectum planum ^{*Ejusdem plenior descriptio.*} fuisse. Sed quia in medio nonnihil elevatum, duas alas retulisse. Porrò juxta templum fuisse *conclavia* in summum eduçta, plana tecta habentia, in quæ ascendebatur per cochleas: & *porticus*, cingentes atria, altissimæ crepidini impositas montis *Moria*, qui vallibus profundis à reliqua civitate discernebatur: ita ut tecta illarum (porticuum), essent in summo fastigio. Frequentem in porticibus fuisse deambulationem, & ex iis populum, (campanarum scilicet ignarum) commodè clarâ voce præconis convocari potuisset. Conf. Lightf. *L. op.* I. 359. & *Hor. in Matth.* 4: 5. Josephus *Ant.* XV. 14. de meridiano Templi latere, & Porticu regia locutus, sic pergit: *ἔργον ἀξιοφνηγητοτάτων τῶν ὑφ' ἡλίου*. *Opus erat, si ullum aliud sub sole memorabile. Nam cum i* allis in immensum debisceret, ita ut caligarent despicientium oculi, desuper extracta erat præ-alta porticus ἀπ' ἀκρῶν τῆ ταύτης (σοῦς) *τέγης* *cujus tecto conscenso, si quis utramque altitudinem conjunctam contempleretur, absque vertigine id non poterat: visu deficiente, ob nimiam profunditatem, priusquam ad imum pertingeret. Verùm Cl. Ligtf. Op. I. 564. sq. monet hanc porticum Regiam diversam fuisse ab ea quæ Joh. 10: 23. Act. 3: 11. Solomonis Porticus dicitur: illa Austrum, ista Orientem respiciente. Ridiculi autem sunt, qui pinnam Templi, diruto pridem Templo, superstare dicunt. Super pinnis Christus constitutus dicitur à Tentatore: latiori verbi *ιστόνας* significatione. Quia qui alium ducit, vel ei suadet, ut se hinc vel illic sistat, eum constituisse dicitur. Vid. *Marc.* 13: 9. Christus Satanæ tantum facinus indulsit, ut omnes ejus*

machinas comperiretur, & pudefaceret, propter consolationē nostram. Tum ne ignoraremus, neminem in civitate sancta, minimè eos in Templi summitate, ab insidiis Satanæ tutos. Diabolo etiam inter Filios Dei comparere: & eorum cor qui à latere Christi sunt ingredi haud verecundari: ut ubique adversus eum vigilandum sit.

Satanæ sug-
gestio.

XXIX. Christus ergo in summitatis Templi, ac tecti extremitatem aliquam, & quidem, si vis, meridionalem, quæ Josepho dicitur, τὸ ἄκρον τοῦ τεύχους τῆς σοῦς βασιλικῆς, à Satana ductus. Hujusmodi locus, artibus Satanæ perquam opportunus fuit. *Primò*, cum Templum summo Montis Moriaë vertici impositum esset, Pinna ejusmodi, summitas ejusdem templi erat propè suprema. *Deinde* loci sanctitas præsentiam, adeoque præsidium Angelorum, certius promittere poterat, quàm quivis alius. Sublimitas loci, præcipitio suadendo: Templi sanctitas, confidentiæ excitandæ reliquis locis opportunior erat. *Tertiò* cum Jerusalem terræ sanctæ μητρόπολις fuerit, hominibus semper tantum non verminabat. Cæterum nec Christus, quod Satanas optabat, vertigine correptus: nec Satanas, ut percupiebat, Christum de pinnaculo præcipitare ausus. Qui enim ne abjectissimæ quidem, & impurissimæ creaturæ damnum inferre potest, multò minùs Christo ejusque membris nocere valet. Nec in ipsa tentatione omnia potest: canis providentiæ divinæ catenis semper arctissimè custoditus, Job. I: 12. 4: 6. Matth. 8: 12. Adde, quòd hora mortis Christi illo tempore nondum venerit: Et ἡ ὠρισμένη βελὴ θεῶν aliud mortis genus ipsi defini-
verit. Satan tamen post tam periculosam stationem, suasionem ejus à Christo occupatam, hortatur & consulit Christo, ut in urbe sancta & frequentia populorum, quasi novus funambulus, in excelso pendulus, se deorsum ad spectaculum vulgi jactet, ut Cyprian. de jej. & tent. loquitur: dictat Christo, *dejice te ipsum* (ἐντευθεν illinc, Luc. 4: 9.) *deorsum*. Quia tantopere Deo curæ es, isque potest, quicquid vult, hoc securè aude: Cordatè, sine trepidatione, vel hæsitacione: in conspectu multorum hominum. Nam ut opus hoc omnium admirationem concitaturum sit: ita Christum fiduciam suam, quòd Dei Filius sit, hac ratione demonstraturum: dignitatem Christi, in maximo hominum confluxu, momento longè lateque emanaturam. Cælestisque vocis testimonium per totum orbem delatum, & notorio specimine, in omnium oculis comprobatum iri. Itaque invidentiſſimus, & confidentiſſi-

tiffimus humani generis hostis, eum locis oppositis ad opposita vitia tentat. Prior tentatio in secessu, hæc in omnium conspectu patrata, illa ad mollitiem effæminatam, ista ad temeritatem: quæ tantùm abest, ut gloriam à Satana ostentatam ei conciliasset, ut temeritatis nota omnibus infamis futurus, ludibrio in omnium oculis se expositurus fuerit. Equidem promissum erat, *Dominum ad Templum suum venturum*, Mal. 3: 1. & illic gloriam suam manifestaturum, Non tamen deijciendo se ex pinna, sed illic docendo, reformando &c. Qui petulanter nulla ratione, nulla necessitate inductus, longè de sublimiori loco, in profundiore abyssum se projecit, præcipationis author aliis est. Utut verò præcipitium hujusmodi suadere possit, neminem in id conjicere valet, nisi tentationes admittere volentem. Equidem non desunt Icarus, Simones Magi, Apollonii, qui eò vanitatis prolapsi scribuntur, ut per aërem volitare præsumserint. Sed (si, quod plausibilioribus rationibus in dubiùm vocatur, verum esse largiamur) temeritatis poenas promeritas dederunt. Satan autem pompam ubique affectat: se jactat undique, rebus ordinem à Deo constitutum evertentibus: pericula vana, inutilia sectatur, aliisque suadet: ut sibi oppidò placeant, si se ostendere, & *Magnorum* nomen, quo jure quàm injuriâ sibi conciliare, vel ab adulatoribus sibi acclamari audire possint. Cùmque Deus, ordinis Deus sit, 1. Cor. 14: 33. variisque mediis, quæ nobis suppeditat, bonitatem & sapientiam suam nobis demonstret, Satanus laudem hanc Deo detracturus, & beneficia quæ Deus iis, qui mediis cum gratiarum actione utuntur, paravit, interversurus, homines ad eorum nauseam, & tædium seducit, iisque inspirat, *Dejice te ipsum deorsum*.

XXX. Suasionem Satanus confirmat, ex Psalm. 91: 11. quo singulis in Deum credentibus, & à Deo dilectis, præsidium Angelorum promissum sit. Angelis suis ἐντελεῖται περὶ σοῦ, præcipiet de Te: καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀρᾶσίν σου, *In manibus te tollent, nequidquam peccatoris peccatoris ad lapidem, pedem tuum, τὰ διαφυλάξαι σε, ut custodiant te*, Luc. 4: 10. Cùm etiam Angeli, si uspiam terrarum morari ament, proculdubio in Templo frequentes converfentur: Sique ex Christi, heri sui mandato, credentibus præstò sint, quidni parati sint, Christo Filio Dei ministrare, & accuratam ejus curam gerere, quocùnque in loco versetur? Quòd si etiam loco præaltis rupibus horrido, deorsum se projiciat, nihil ei ab illis rupibus periculi imminere. Quia


Angeli


Satan Scrip-
tura à abu-
sus.


Angeli manibus suis eum excepturi, ad inferiores partes delaturi, & molliter eum ibi reposituri sint. Ad lapidem pedem offendas, *παρομοιωδης* locutio: Græcis & Hebræis familiaris, damnum quodlibet significans. Cum verò rectè ita Christus, Dominus Angelorum constituitur: impossibile tamen erat, vel Christum extra metas exultare, vel sanctos Angelos iniquè extra oleas vaganti, operam navare. Ut ergo Satan, insigni vafrutie, Christo alterum ictum ex Scriptura intentat, verè *πίδημος ἐν προφύλαξ*, Christum suis quibus adversus Satanam usus erat armis, confecturus, & gladium hunc ex ejus veluti manibus extorturus: Ita haud minori artificio, Christi constantiâ abutitur. Cur noluit Christus lapides in panes convertere? Fiducia certa, fore ut à Deo pasceretur, si opus esset. Satan vult, Christum eadem fiducia sui conservationem sibi promittere, si se projiceret. Qui media conservationis in deserto neglexit, pari constantiâ, in pinnaculo constitutum, media insuper habere posse. Sed & alii sunt doli, qui hac allegatione Christo intentantur. *Alter*, ob custodiam Angelorum promissam. Quia Filius Dei sit, lumbifragium ei non metuendum, cui etiam promissio facta, os ei non fractum iri: *Alter*, id eum non facturum citra verbum Dei.

*Genuino
ejus usui nil
derogat.*


XXXI. Cæterùm de hoc Psalmi apophtegmate duo nobis notanda. Primò, Satanæ Scripturâ quidem usus: nec tamen prior ad eam provocat: fortassis libentiùs ab ea semper abstenturus. Cum autem observat Christum, eò tanquam ad Palladium, & armamentarium receptum suum habere, simulat se ab ea non abhorreere: non alio fine, quàm ut Antagonistam securum reddat, ipseque ad eò Dei in Scriptura loquentis autoritate, cor Filii Dei à Patre alienum reddat. *Plures Samuelis voce occupat, quàm Draconis*, inquit ille. Nec alio animo, nostro ævo lucifugæ Scripturarum, Scripturâ subinde militant, & ejus consensum magnificè jactant. Cornua hæc agni sunt, quibus bestia eos allicit & inficit, qui ad blasphemias bestię prioris aures obtuhrârunt. Verùm Satan citiùs tenebras ex Sole eliciturus erat, quàm ut S, literas suis conatibus propitias redderet. Amens autem fuerit, qui inde quòd Satan Scripturâ protervè in rem suam abusus, præsumat, eam hic minùs claram; aut Satanæ fraudibus, quàm Christi obedientiæ faventiorcm esse: Aut quia Satan, pariter ac Christus, sua ex Scriptura asseruerit, Christum deinceps ad Scripturam provocare non debuisse. Id tamen Scripturæ mastiges, unicè agunt, qui quia Hæretici erroribus suis Scripturam obtundunt, Scripturum S, regulam esse Lesbianam, nasum cereum, in omnes partes flexilem: receptaculum Hæreticorum: dubiam &c. blasphemant. Quin, tam irrefragabilis est Scripturæ origo, & quæ inde fluit autoritas divina, ut ne ipse quidem Satan abnuere aulit. *Nempe eadem causa à cibus abstinentum esset, ne veneficiis esset locus*, ut Calvinus loquitur. Ejusdem aurea hæc gnoma est, *Quum (Scriptura) divinitus nobis ordinata sit in salutem, an irritum erit Dei consilium, nisi nostrâ ignaviâ, salutaris ejus usus nobis pereat? Auctoritatem ergò (sicut iam Zuinglius, Op. T. IV. p. 10.) S. literarum veneramus (ut ille inquitabat): at sententiam interpretamur, De aliis quæ de ipse aliàs.*











lura circa hanc materiam tractata recognoscere
eter modo laudatam Harmoniam Chemnitio-Ly-
& B. HILDEBRANDI A CANSTEIN Harmoni-
o. 653-660. Io. Casp. SVICERI Thef. Eccles. par-
o-713. ISAACI CASAVBONI Exercitat. Anti-Ba-
XII. p. 309-389. cum IAC. CAPPELLI Vindicis
em ERASMI & IO. PISCATORIS adnotationes,
VTII Comment. ad h. l. B. Aegid. HVNNII tra-
cclesia p. m. 233-250. B. Seb. SCHMIDII Petrum
p. 107-147. Io. COCCII Operum tom. IV. p. 29.
is nobis *ὁμολογῆσθαι* est, B. Abrah. CALOVII Vin-
duerfus Hug. GROTHII corruptelas, item plures
ristoph. WOLFIO in Curis philol. crit. ad h. l.
e qq. adlegatos, præfertim *Eliam du Pin* &
Ioannem *Launoium*, commen-
damus.

ὁ δὲ τῶ θεῶ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγῆτω αὐτῆ δωρεᾶ!

MIO AC PRAESTANTISSIMO
IVVENI,
NI GEORGIO WILLIO
M IN CHRISTO PLVRIMAM DICIT
PRAESES.

gis, CARISSIME WILLI, quod, dum abi-
x academia nostra meditaris, rationem stu-
m specimine quodam publico recepto mo-
on neglexisti. Isto enim documento osten-
vlla molestia mea in ædibus meis, ita non
florentissima academia, per triennium &
te. Dum vero materiam ad disputandam
umenti, vt fatis ardui hodieque scitu neces-
farii,